

deperat, opinione confirmatus est, ut in animum induxerit
demonstrare: Nullum a nato Deo ad nostra usque tempora
esse errorem fidei contrarium, qui non per invincibilem *δι-
νοίαν* ex hoc characteristico fluat. Hinc nescio, qua ex causa
initium suae demonstrationis fecit ab Origine, celebri ecclesiae
doctore in tractatu: *ε de ultima origine & processu haereseos*
Origenis Adamantii, *quem historiam Origenianam* inscripsit.
Hic quidem id dissimulare non decet: autorem aliquando
iniquiorem posse videri in Originem justamque aliis reli-
quisse causam Originem aut defendendi aut excusandi,
aeque ac id nuper, imprimis contra Epiphanium alia ex
causa praestitum est Praeside summe Venerand. JO. AND.
SCHMIDIO Helmstad. in exercitatione hist. eccles. de
lapsu Origenis. Interim tamen hoc satis certum est: spe-
cimen hoc & de eruditione autoris tum adhuc juvenis,
& de utilitate historiae philosophicae satis testari. De cae-
tero an tractatus ejus, quem promittit, *f de ultima origine*
& *progressu haereseos sociniana*, nec non commentariolus,
quem spondet *g de origine & ultimo principio* *πρὸς τὴν ἀρχὴν*
ἰωσέως, item commentarius promissus *h de ultimo omnium*
haeresium principio, ut & tractatus *i de duplici mundi interitu*
lucem unquam viderint, an vero majoribus autoris curis
dein fuerint suppressi, mihi non constat, qui aegre iisdem
careo. Referendus etiam huc est EHREGOTT DAN,
COLBERGS *hermetisch-platonisch Christenthum* qui an-
non aliquando nimis incaute omnes ex platonismo dedu-
cat haereses, quae saltem aliqua specie verborum Platoni
congruunt, judicent doctiores. Optime in rem nostram
faciant *Observatio k de haeresibus ex philosophia aristotelico-*
scholastica ortis, nec non D. BVDDEI *dissertatio de haeresi*
valenti-

e Prod. Francof. 1670. in 4.

f In pres, p. 1.

g P. 18.

h P. 29.

i P. 39.

k Tom. I. Halens. obs. XV.